



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam
interpretis donatus

Peregrinus terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super
Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Paradisus, Finis Operationum. Gradus 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49469](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49469)

quod hoc est omnis homo, gloria Dei & omnia bona mea. Gloria Dei est gloria mea, & omne bonum meum.

LXXXV.

*Gloriosum celestium in sacro consistorio
Divinarum Personarum.*

Hæc est prima, laus Dei, mensura, & norma aliarum laudum: est laus per essentiam, laus infinita, laus perennis, laus adæquata ei, qui laudat, & qui laudatur, veluti adæquatus est amor, & adæquatum gaudium. Hæc laude ante omnem creaturam & ab æterni Patris laudat Filium, & Filius Patrem, & Pater & Filius Spiritum sanctum, & Spiritus sanctus Patrem & Filium. De hac gloriâ loquebatur Christus, quando dicebat: *Pater, clarifica me claritate, quam habui, presumpsi.* *Mundus fieret, apud te.* rogabit nimirum, ut hæc gloria sibi, non ut Deo duataxat, sed etiam ut homini communicaretur.

JOHN. 17.



PARADISUS,

Finis Operationum.

LXXXVI.

*Finis operationum Dei, in creatione
Mundi.*

Placuit Deo ter Opt. Max. sub temporis oratione communicare seipsum extrâ, producendo creaturam propriam

propter salutem & gloriam prædinatorum, ut in paradiso Creatoris enarrarent ac decantarent gloriam in æternum. Unde hic extitit finis Dei in creatione, ut, nimirum, postquam se communicasset in Naturâ & Gratiâ, ultimò tandem in cœlis communicaret se in Gloriâ.

LXXXVII.

*Finis operationum Dei, in regimine
Mundi.*

Deus Providentia sua conservat & regit vastissimam hanc Mundi machinam regimine non naturali solum, sed etiam morali & supernaturali: proponendo præmia & pœnas, & communicando media supernaturalia Gratiæ, conducendo per ea electos suos ad ultimum beatumque Gloriæ finem & terminum.

LXXXVIII.

*Finis operationum, in hominibus, &
in Angelis.*

Juxta commune Sapientum dictum: *Idem est finis operis & operantis.* Finis, exempli gratiâ, domus est habitatio: eadem namque est finis Architecti & stru-cturæ seu fabricæ. Ergo si Deus in creatione nostrâ habuit pro fine gloriam nostram, & hanc ordinavit ad laudem & gloriam suam, tanquam ad ultimum finem, idem debet esse finis noster: ut, nimirum, in cunctis nostris actionibus semper inspiciamus ac intendamus ultimum finem vitæ æternæ propter gloriam Dei.

Finis operationum, cum mediis proportionatis.

Intentio finis, & electio mediorum, secundum Angelicum, inter se habere debent correspondentiam & ordinem, in esse supernaturali & efficaci: quod si finis creationis nostræ est supernaturalis, quoque sint media Gratiæ, Fidei, Spei & Charitatis, necesse erit: & si finis nostræ Gloriæ fuerit effectiva, efficacis quoque erit medium Gratiæ: ergo si velint habere effectum in intentione finis, non desistant nos in electione mediorum.

XG.

Finis operationum, incentivum operantis.

Cogitatio tua sit in Regno Cælorum, dicebat illi ille Abbas, & cito in hereditatem capies: cogita cælum, & cælum obtinebis. Quia dum finis præmeditata, juxta Angelicum, committitur se mediis. Talis est consuetudo & mos Sacerdotum: stare in culmine generositatis suæ, & non quod in Mundo eminet, amore æternitatis calorem magni æstimare cœlestia, & spernere ac contemnere terrena, ut nos conservemus in culmine & altitudine dignitatis, in qua Deus nos collocavit.

S. Cypr. de
spei.

S. Greg.



PARA